

modum: videlicet quod dominium Tergesti teneatur et debeat eligere sexaginta homines de maiori consilio, qui sint etatis quinquaginta annorum inferius, et de etate vigintiquinque annorum superius; qui sic electi [sint] capitanei supergardarum, videlicet duo ex ipsis in primo in sero, et duo de glasegna, quibus dare debeant sacramentum de fatiando bonam custodiam, de tentando custodes noturnos, tam supragardas quam gaitas civitatis Tergesti, et tentare facere, ut eis videbitur pro meliori, et denunciare quos non // invenerint vel essent personaliter ad eorum custodiam; et non reperti cadant ad penam decem sold. par. solvendorum incontinenti sine proclamatione excusarum; et contrafatientes denunciare domino potestati vel vicario loco potestatis vel procuratori comunis sequenti die qua invenerint contrafatientes, sub pena centum sold. cuilibet capitaneo; et eorum denuntiationibus adhibeatur plena fides; et facta ipsa denuntiatione scribi debeat per notarium procuratoris denuntiatum sacramento et pena predicta, et ea die vel sequenti procurator comunis mittere debeat pro persona denuntiata, et ipsam constringere ad solutionem fatiendam de dicta pena, etiam sub pena predicta pro quolibet procuratore. ¶ Et quod tales capitanei venire et stare debeant ad eorum custodias secundum quod alii custodes stant ad ipsas eorum custodias, sub pena viginti sold. par. pro quolibet capitaneo contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Item quod quolibet alia persona civis vel habitatrix Tergesti fatiens vardas et supravardas in civitate Tergesti, que esset de etate a quinquaginta annis inferius et maior decem octo annis, ire personaliter teneatur ad eorum custodias, prout sibi fuerit preceptum et quandocunque eis fuerit ordinatum, sub pena decem sold. pro quolibet et qualibet vice contrafacta, incontinenti solvendorum ut supra dictum est. ¶ Salvo iusto impedimento persone vel abscentia civitatis, nam tunc tales abscentes // vel inpediti mittere possint pro se de consensu unius iudicis personam sufficientem ad dictas custodias. ¶ Alii vero cives vel habitatores Tergesti, qui esse[n]t a dicta etate quinquaginta annorum superius et a decem octo annis inferius, mittere possint pro se personas sufficientes ad dictam custodiam sibi pre-

95 B

96A